

magis permanentes, et majore varietate; in luce magis mobiles, et magis uniformes; — possunt etiam esse, et in luce simul cum motu, et in objectis sine motu; nam objecta suum colorem manifestant solum, lux autem debet deferre colores non suos].

Objic. 4° In iride, in imagine reali lentis vel speculi concavi, certe nihil est nisi lux varie modificata; sub diversis motibus ejusdem lucis diversi habentur colores; ergo color non est nisi lux modificata. — *R. tr. ant.* — *d. cons.* ergo color non est in solo corpore, *c*; ergo nullo modo est in corpore, sed semper solum in luce, *n*.

Objic. 5° Quaedam objecta apparent diverse colorata ex eo tantum quod sub *diversa incidentia* ejusdem lucis conspiciuntur... — *R. tr. ant.* — *d. cons.* ergo color nullo modo inest corpori, *n*; ergo color corporis potest varie cum colore lucis vario combinari, ac proin varius apparere, *c*. (*N. B.* variari poterit color lucis ex varia refractione vel reflexione).

Objic. 6° Idem *nervus opticus* si percutiatur, electricetur, etc... semper producit visionem lucis coloratae... — *R. tr. ant.* — *d. cons.* ergo color est solum in nervi motu, non in objecto, *n*; potest esse sensatio ubi objectum ipsum non adest, *c*. [*N. B.* 1° Causae plures concurrunt ordinario ad sensationem: a) objectum coloratum, b) medium deferens, c) organum apte mutatum; — 2° physice requiritur sola ultima immediata causa; — priores requiruntur physiologicæ, i. e. ordinario, naturaliter, ut producat causa immediata; — 3° ex eo quod electricitas etiam excitat nervum ad agendum, concludi non potest eam esse motorem ordinarium physiologicum: cfr. organol.]

Objic. 7° Calor aut est materia, aut motus materiae; *a*. non materia; *e*. (ita Tyndall). — *R. n. maj.* (addendum: aut alia qualitas materiae).

Objic. 8° Motus non potest extingui; *a*. motus sensibilis cessans producit calorem; *e*. — *R. n. maj.* (gratis asseritur; et v. c. motus penduli in puncto supremo sui ascensus...) — *d. min.* producit, *c*; ipse fit calor, *n*.

Instant. Sicut nihil ex nihilo, ita nihil in nihilum; *e*. non potest oriri motus nisi ex motu, nec potest producere nisi motum. — *R. tr. ant.* (quatenus agitur de viribus creatis physicis); — *n. cons.* (potest produci motus a qualitate activa, et producere aliquam qualitatem proportionatam).

Objic. 9° Teste experientia, conservantur semper vires eadem, et convertuntur mutuo motus in calorem, et calor in motum, secundum leges constantes thermodynamicas; *e*. — *R. d. ant.* convertuntur mutuo, *n*; producant se mutuo (sive causaliter, sive occasionaliter), *c*. (fatentibus ipsis physicis, leges illae constantes sunt, quidquid sit de *natura caloris*).

Objic. 10° Corpora dilatantur calore secundum leges constantes; *a*. hoc explicari nequit nisi per motus vibratorios ampliores; *e*. — *R. c. maj.* — *n. min.* Cfr. prop. 20.

Objic. 11° Sensatio quam quis acu punctus experitur nullam similitudinem habet cum acu carnem petente; *e*. id quod sentitur non est formaliter

a parte rei (Locke). — *R. d. ant.* dolor conjunctus cum sensatione, *c*; ipsa sensatio..., *n*; (haec exhibet carnes in suo situ ita turbatas, sicut superficies acu penetratur).

Objic. 12° Odor et sapor certe aliud non sunt quam chemicae actiones cum quadam organi titillatione, vellicatione, etc. — *R. d.* quae actiones producantur qualitate formali activa corporis, *c*; secus, *n*.

Objic. 13° Sonus, teste scientia acustica, nihil est nec supponit praeter motum aeris undulatorium; *e*. — *R. n.* (Supponit qualitates corporum quibus pro eadem v. c. percussione aliter alia corpora resonent tono, fortitudine, acuitate, imo duratione, seu quibus alias undulationes efficiant alia corpora...).

Coroll. 1^m Ex factis argumentis jam patet quid sint istae qualitates in seipsis inspectae dum sunt in corpore: nimirum sunt formae accidentales, per se primario ordinatae ad perficienda corpora in suo esse; secundo autem, et tanquam principia quibus, seu tanquam potentiae activae, causant motus in corporibus quibus insunt, et alterationes in corporibus vicinis aptis nostrisque sensibus.

Coroll. 2^m Quid ergo sint illae qualitates in medio deferente concludi etiam potest: nempe aer vel aliud corpus intermedium immediate afficitur et motus correspondentes concipit, qui motus ad nostros usque sensus propagati, organa nostra afficiunt, determinantque ad repraesentandas immanenter qualitates his motibus impressionibusque proportionatas, quae earum causae efficientes erant.

Coroll. 3^m Hinc etiam patet quomodo ipsa lux explicanda: est enim haec non color aliquis vel res visibilis, sed qualitas accidentalis aeris vel aquae, vel alius cujuslibet corporis intermedii, qua fiat aptum ad deferendos colorum effectus; nec proinde in obscuro cessant colores esse iidem ac dum illuminantur, sed corpus intermedium cessat esse aptum quod ad sensus deferat effectus.

Coroll. 4^m Hinc etiam patet quid odores sint, scilicet qualitates, accidentia absoluta physica, ut supra explicatum. Sed quomodo odores ad sensum deferantur? respondent materialistae, et quotquot philosophi nullum aliud ens intelligunt praeter substantiam, minimas materiae particulas, puta atomos vel moleculas, a corpore avelli, ad organum pervenire, ibi chemice operari; at haec hypotheses sunt, nullo experimento nitentes. Nos potius aestimamus aerem, vel corpus intermedium aliud, a corpore odore affici et accidentaliter alterari; quod accidens sit forma, potentia sic agendi in organum, atque hanc immutationem chemicam producendi.

Coroll. 5^m Ergo apud physicos aliquid veri, sed et aliquid falsi invenitur. Verum est quod de naturae legibus docent et ad mathematicas formulas reducunt, immutabiles pro datis adjunctis; verum est quod de motibus docent. — Sed falsum est in his phaenomenis nihil qualitativum et alterativum, solum quantitativum motum dari.

QUAESTIO 5.

De activitatis finalitate.

Nulla nunc nova activitas se offert praeter illas quas hucusque consideravimus, sed circa eas quaeritur quales se in mundo manifestent, utrum scilicet omnia casu fiant, an debitae se tendentiae ad certos fines patefaciant. Neque cogitamus nunc causam finalem totius mundi, sed fines particulares in singulis phaenomenorum speciebus.

Propositio 38.

Est in rebus naturalibus vera finalitas, seu tendentia ad fines.

Stat. quaest. 1) Praesupponimus omnia quae scientiis naturalibus docemur de ordine, harmonia, aptitudine, et determinatione specifica corporum naturalium, sive organicorum, sive anorganicorum. — S. Thom. Gent. 1. 3. c. 2. et 3. — Summ. 1^a 2^{ae}. q. 1. a. 2.

2) Quaeritur utrum ista omnia habeantur quia causae immediatae efficientes ita producunt, i. e. existat sola relatio causalitatis efficientis, nulla finalis; — an potius causae efficientes ista producant, ut habeantur isti effectus, i. e. existat utraque relatio, tum causalitatis efficientis, tum causalitatis finalis cur efficiens agat. — Nondum quaeritur ubi et quomodo resideat ista causalitas finalis: in causa superiore et mediata, an in proxima et immediata; utrum essentialiter an accidentaliter.

3) Adversarii: a) materialistae omnes jam antiqui, — b) inter recentiores P. Lamarck, Darwin, — c) pantheistae aliqui.

Prob. Teste experientia, tam mirabilis complexus et constans ordo est in mundo ex singulis rerum naturalium operationibus resultans, ut istas operationes ex sola agentium proclivitate, sine intentione finis, explicari non patiat; e.

Ad ant. 1) *Organicae res* a) ex parvis et vilibus initiis, ad certam aliquam sui perfectionem certo et constanter tendunt (scilicet ad sibi membra apta, ordinata, elegantia efformanda), — et quidem multa saepe et diuturna impedimenta superando.

b) Multis viis aptis neglectis, unam hanc ineunt quae ad effectum utilissime conducit, licet difficilioris forsitan; eamque constanter ad exitum usque tenent.

c) Organa in usus futuros diu ante disponunt.

d) Sollicite et artificiose procurant speciei conservationem, fetuum defensionem, educationem.

2) *Res anorganicae* ad ordinem reguntur:

a) debitis legibus attractionis mutuae,

b) debita velocitate transmittendo lumen, calorem, electricitatem, sonum,

c) debita intensitate, affinitate, atomicitate, etc... phaenomena chemica producendo...

d) debita cohaesione, expansione, densitate, duritia, impenetrabilitate... typos proprios producendo, conservando,...

e) debitis proportionibus et combinationibus suis ministrando quae viventibus necessaria sunt;

Atqui haec omnia simul sumpta repugnant explicari per solas agentium proclivas operationes, sine intentione finis, sive in ipsis, sive in earum naturarum auctore habita; e.

prob. min. 1) Si talem eventuum plurimorum independentium concurrentiam calculo probabilitatum subjicias, tantam invenies improbabilitatem, ut a nemine, ac praeservim non ab adversariis, pro vere probabili vel possibili habeatur.

2) Opus ordinatum, qualis est mundus et omnes in mundo operationes naturales, est essentialiter causae intelligentis effectus; a. causa intelligens non ut intelligens agit, nisi finem intendat; e.

3) Aptitudo ad tales operationes rationem sufficientem habet: a) *nec in causis efficientibus* per se spectatis, nam haec sunt indifferentes ad hanc vel illam, talem vel aliam operationem; — b) *nec in materia* per se spectata, nam et ipsa indifferens est ad varias formas suscipiendas; — c) *nec in casu*, nam per hunc nihil constanter ordinatum explicatur; e.

Coroll. 1^m Ergo falluntur idealistae, qui fines admittunt, sed dicunt eos esse non nisi formam nobis subjectivam, sine objectivitate.

Coroll. 2^m Ergo in natura operatio causarum mechanicarum finalibus causis est subordinata.

Coroll. 3^m Ergo causalitas finalis mechanicam causalitatem non impedit; cui non opponitur, sed quam potius supponit.

Propositio 39.

Ista rerum naturalium tendentia finalis, e rerum essentia proxime proficiscitur, et in ipsis rebus vere inest.

Notiones. 1) *Finis complete spectati* causalitas in actu primo est ipsius finis bonitas prout cognitione exhibetur; — in actu secundo, est causalitatis exercitium in agentis actionibus, prout eae a fine tanquam ab objecto movente voluntatem dependent.

2) *Ens agit propter finem:*

extrinsece — — si ab alio movetur, v. c. sagitta a milite, horologium ab artifice.

intrinsece — — si ex se habet tendentiam ad finem.

rationaliter : si finem ut finem, et media ut media, et ut proportionata ad finem cognoscit; et secundum hanc cognitionem eligit.

instinctive : si finem et media cognoscit, at non ut talia, sed est determinatum ad utendum mediis, v. c. equus siti impulsus ad aquam tendit.

plastiche — si est determinatum ut mero appetitu naturali illa inducantur agentia quae sunt media ad finem, v. c. corpus vivens organa sibi plasmat.

legaliter — mere naturaliter, si agit tantum secundum certas leges determinate, ad certum effectum, ex viribus sibi internis, v. c. materia bruta.

Stat. quaest. 1) Non dicimus *omnem* finalitatem esse rebus internam; neque finalitatem internam rerum habere *complete et ultimam* rationem suam sufficientem in ipsis rebus; sed dicimus: saltem uno ex supradictis modis varias res naturales finaliter *ab intrinseco* agere (S. Thom. 1. p. q. 60. a. 1. — Gent. 1. 3. c. 63).

2) Adversarii: Plato, Herbart, Ulrici: Deum immediate et per se rerum particulas omnes positivo influxu ad certos fines dirigere, — vel: sub mundi initium minimis materiae tantum ordinem et harmoniam indidisse, ut solo motu mechanico fines omnes consequantur.

Alii: res creatas accepisse per modum naturae impulsum aliquem, qui tamen dici nequeat appetentia teleologica; nam agere propter finem dicit cognoscere et amare; *e.* auctorem naturae eas in finem agere.

Prob. 1° Causalitas mechanica efficiens ex ipsis corporibus procedit (cfr. supra); *a.* inest in rebus naturalibus aliqua causalitas finalis, cum essentiis rerum non minus intime conjuncta, quam illa mechanica efficiens; *e.*

Ad min. Sicut ipsum esse rerum ad agendum, ita ad agendum hoc vel illo determinato modo, est natura sua directum; nam teste experientia omne agens, quum primum agit secundum naturam suam, semper agit certo aliquo determinato modo.

Prob. 2° Tamdiu effectus est rei in qua apparet adscribendus, quamdiu nulla est ratio ut aliam quaeramus causam; *a.* nulla est ratio..., quando v. c. planta vel animal tam apta organa conformat; *e.*

Prob. 3° Finalitas extrinsecus illata additur rei in suo esse constitutae, ut novus modus; *a.* in rebus naturalibus habetur praeterea alia tendentia finalis ex intima earum natura oriens; *e.*

Ad maj. 1) Finalitas extrinsecus adveniens, non nisi motu, vel modo, in re aliquid efficere potest; — unde si quomodo afficiatur, extra conditionem suam turbatur ac turbata manet, v. c. sagitta ad scopum missa, si in itinere afficitur, deviat et ad viam non revertitur.

2) Res quae non interna finalitate determinatur, ad determinationes quaslibet externas indifferens est, neque effectus secum necessario conjunctos habet.

Ad min. 1) Res naturales tales habent tendentias in fines, ut vel nullo modo ex eis turbari possint, vel si quando turbentur postea sponte in eas redeant, v. c. ad suas formas crystallinas, combinationes chemicas, etc.

2) Singulae res naturales certas aliquas habent determinationes, secum necessario conjunctas, ad quas indifferentes non sunt, v. c. quoad expansionem et cohaesionem, perseverantiam in statu suo, recuperationem amissi status, appetibilitatem, cognoscibilitatem.

3) Organismus efficientiam suam diversissimis adaptat circumstantiis, impedimenta obvia vincit, dirigendo et immutando suum agendi modum; et si vincere nequit impedimenta majora, potius moritur.

4) Organismus se exhibet ut ens unum completum, quod novis perfectionibus se induit, nova organa sibi conformat quibus utatur ad victum quaerendum, vulnera sananda, morbos curandos, nociva declinanda (S. Thom. in l. 2 phys. lect. 13).

Objic. 1° Ipse auctor naturae res naturales ad suum quasque finem dirigit; *e.* tendentia finalis est rebus extrinseca. — R. *d. ant.* dirigit mere extrinseco impulsu, *n*; dirigit causando in eis naturalem tendentiam intrinsecam, *c*; — *n. cons.* (S. Thom. qq. disp. 22. de verit. a 1).

Objic. 2° Si res naturales natura sua, i. e. ab intrinseco, tenderent in finem, deberent illum cognoscere; *a.* non cognoscunt; *e.* — *Prob. maj.* Tendere in finem convenit Deo, et naturae, et agenti a proposito; *a.* Deus et agens a proposito cognoscunt finem appetendum; *e.* etiam natura, quae est quasi media inter duo (scilicet praesupponens opus creationis, sed praesupposita in opere a proposito, i. e. artis). — R. *n. maj.* — *ad prob. maj.* : *d. maj.* convenit eodem modo, *n*; convenit Deo et agenti a proposito, qui cognitione finis seipsum dirigant; naturae vero quae ad finem ab auctore suo dirigatur, indita tendentia, *c*; — *c. min.* — *n. cons.*

Objic. 3° Qui appetit finem non habitum, in eo delectatur habito; *a.* res naturales non delectantur; *e.* — R. *d. maj.* qui cognoscendo appetit, *c*; qui non cognoscendo... *n*; vel *sd.* delectatur metaphorice, i. e. quiescit, *c*; delectatur proprie, *n*.

Objic. 4° Si creaturae vere appetunt intrinsece, aliquid saltem derogatur creatoris directioni et dominio; *e.* (S. Thom. 1. 2. q. 93. a. 5). — R. *d. ant.* si appeterent ex principio sibi non ab ipso creatore indito, *c*; secus, *n*.

Coroll. 1^m Ergo suam quaeque res naturam habet, i. e. principium internum, quod eam ad finem, ad certas operationes, perducit (S. Thom. 1. p. q. 103. a. 1. ad 3. — in l. 2. phys. l. 14).

Coroll. 2^m Ergo scientia mechanica est scientia mediorum materialium, quibus natura ad fines suos utitur.

Coroll. 3^m Ergo nec elementis corporum, nec corporibus ipsis omnibus,

sensus, vel perceptio, vel volitio, vel vita tribuenda est, nam nec organa habentur in omnibus, apta ad fines illos, nec actiones apparent, quae illas facultates supponerent, sed omnis activitas naturalis anorganicorum sufficienter explicatur per principium intrinsicum necessarium, ab auctore naturae inditum (*S. Thom.* qq. disp. 22 — verit. a. 1. ad 2. — op. de princ. nat. — in l. 2 phys. c. 1).

CAPUT II.

DE NATURA MUNDI.

Analytice procedentes mundi phaenomena varia primo consideravimus, ex quibus jam logice ad causas assurgentes, per modum conclusionum naturam mundi deducemus. Duplex autem haec potest mundi inspectio esse; singulorum enim corporum naturam, vel totius mundi in complexu constitutionem inquirere possumus. Unde hujus capituli prima divisio erit:

Sectio 1. De natura corporum.

Sectio 2. De mundi constitutione.

SECTIO 1.

DE NATURA CORPORUM.

Atque de hac duo disputanda sunt; scilicet corporum distinctio realis numerica contra monistas seu pantheistas tuenda est, ac deinde eorum distinctio specifica realis defendenda et explicanda venit.

Quaestio 1. De corporum distinctione numerica.

Quaestio 2. De corporum distinctione specifica.

QUAESTIO 1.

De corporum distinctione numerica, seu de pantheismo.

Propositio 40.

Pantheismus universim inspectus non solum gratuito asseritur, sed theoretice et practice absurdus est.

Notiones. 1) *Pantheismus (monismus)* est doctrina philosophica, juxta quam res omnes mundanae identificantur cum Deo in una eademque substantia seu in una eademque realitate.

2) Dividitur pantheismus:

emanasticus — — omnes res ex substantia divina, facta divisione vel diffusionem, velut partes vel radios, emanasse.

immanens — — res omnes esse totidem formas seu phaenomena, in quae substantia divina immanente activitate se explicet, et sub quibus se manifestet.

idealis — — (negans realem existentiam, etiam mere phaenomenalem, mundi exterioris): omnem immanentem evolutionem substantiae divinae esse mere idealem; ita ut solum prout est mens seu subjectum cogitans, essentia divina se evolvat in formas varias et multiplices, i. e. eas sibi cogitet.

realis — — (affirmans realem existentiam, licet mere phaenomenalem, mundi exterioris): immanentem evolutionem esse realem; ita ut se evolvat essentia divina etiam prout est natura seu objectum cogitabile, i. e. evolvat objectum cogitatum, ipso facto quod Deus seipsum ut objectum cogitet.

3) *Pantheismus emanasticus melius* refutatur in theologia naturali, ubi de simplicitate Dei. — *Pantheismi immanentis* sive realis, sive idealis, duo praecipua dogmata sunt:

a) *identitas universalis*, realitatis, esse, substantiae absolutae, necessariae, aeternae, infinitae;

b) *evolutio immanens et fatalis* hujus substantiae absolutae, in formas multiplices (modos, manifestationes, phaenomena, aspectus, positiones infiniti...) quarum singuli complexus dicuntur: momenta infiniti, vel absoluti.

4) Unica identica illa omnium realitas est ratio entis indeterminatissima, universalissima (confundendo ens abstractissimum cum ente realissimo...); vocaturque *ego purum*, *ego transcendentale* (Fichte), — *indifferentia differentium* (Schelling), — *identitas τοῦ esse et τοῦ non esse, seu positionum et contrapositionum*, id est contradictoriorum (Hegel).

5) Lex evolutionis hujus est: *per relativam sui sibi oppositionem*, qua seipsum limitat seu determinat... Unde duplex aspectus: a) *absolutus* (quem apprehendit intuitus rationis purae), et sic omnia sunt unum, — b) *relativus* (quem apprehendit ratio empirica, seu intellectus), et sic sunt plura, finita, mutabilia, contingentia...

6) Deus jam non est nisi illud absolutum, impersonale..., quod se evolvens... in ratione humana ad conscientiam sui et personalitatem pervenit.

Prob. 1^a pars (gratuito asseritur). Nec immediate evidens (sive ex immediata experientia, sive ex intuitu rationis), — nec mediate evidens, nec probabilis (Cfr. object...).

Prob. 2^a pars (theoretice absurdus). 1^o *Quoad identitatem universalem.* Quoad Deum necessarium, infinitum, immutabilem..., et mundum contingentem, finitum, mutabilem..., sunt attributa contradictoria; item quoad res